



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**DN. DVRANDI|| à Sancto Portiano, in Senten=||tias  
Theologicas Petri Lombardi|| Commentariorum libri||  
quatuor.||**

**Durandus <de Sancto Porciano>**

**Antverpiæ, 1567**

Distinctio decimasecunda.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72607)



nisi tantum decem non signet mente illas decem quas consecrare intendit, nec illam undecimam quam consecrare non intendit sed fiat intentio sua in tali generalitate, scilicet quod non intendit consecrare omnes undecim, sed solum decem ex eis; dicendum est quod talis sacerdos nullam illarum hostiarum consecrat quantumcumque proferat verba cum praedicta intentione generali. Cuius ratio est, quia constat quod iste non consecrat omnes undecim, quia oppositum est in eius mente, scilicet nullo modo consecrare omnes undecim nec consecrat decem tantum. Probatio: quia illa intentio non sufficit ad consecrationem alicuius hostie sub qua aequaliter quaelibet hostia includitur & excluditur. Quia si dicatur consecrata quia sub illa intentione includitur, eadem ratione dicitur non consecrata quia ab illa intentione excluditur. Sed sic est in proposito, quia si intentio sacerdotis fiat in hac generalitate quod intendit consecrare tantum decem hostias eas mente non signando, tunc quaelibet undecim hostiarum potest esse una de decem, & potest excludi de decem, quia quaelibet excludit adhuc sunt decem aliae, ita quod exclusio cuiuslibet ponit exclusionem omnium aliarum sub numero denario. Et inclusio cuiuslibet sub numero denario excludit aliquam aliam ab eodem numero. Cum ergo nulla sit signata per intentionem sacerdotis, sequitur quod aequaliter quaelibet sit inclusa, & non inclusa quod est contradictio, & per consequens aequaliter consecrata & non consecrata, quod est impossibile, nulla ergo consecratur.

5 In tertio autem casu scilicet quando sacerdos ignorat numerum hostiarum intendit tamen consecrare decem de totali numero; dicendum est sicut dictum est in secundo casu, nisi quod si talis sacerdos signet mente decem hostias quas consecrare intendit tunc cessat in eo ignorantia numeri & incidit casus iste totaliter cum secundo, & ideo eadem est responsio.

6 AD primum argu. dicendum quod bene concludit partem negatiivam, scilicet quod non omnes undecim consecrantur propter intentionem contrariam, quando scilicet sacerdos non intendit consecrare totum quod est ante se, sed praecise decem hostias, quia si intenderet consecrare totum quod est ante se minor esset falsa. Sed pars affirmatiivam non concludit nisi intentio eius sit in speciali de decem signatis. Si enim intentio stet in generali tantum, cum per illam applicationem non fiat applicatio formae ad consecrationem alicuius determinatae hostiae. Quia sub illa generali intentione quaelibet hostia aequaliter includitur, ut declaratum est, tunc nulla hostia consecratur.

7 Ad rationem alterius partis dicendum est quod ex parte sacramenti nullus paratur laqueus. Sed quilibet indiscretus minister potest sibi ipsi parare laqueum, quod facit talis sacerdos quando non determinat intentionem suam ad aliquem numerum determinatum.

Sententia huius distinctionis. X II.  
in generali & speciali.

SI autem quaeritur de accidentibus. Superius determinavit Magister de consecratione huius sacramenti. Hic autem determinat de consequentibus ad eius consecrationem. Et dividitur in tres partes: quia primo inquit de modo existentiae accidentium in hoc sacramento. Et secundo de actu sacerdotis consecrantis hoc sacramentum. Tertio inquit de effectu huius sacramenti. Secunda incipit ibi. Post haec quaeritur, si quod gerit sacerdos. Tertia ibi. Instutum autem est hoc sacramentum. Prima dividitur in tres, quia primo inquit de modo existendi accidentium in hoc sacramento. Secundo inquit de fractione quae ibi apparet. Et ponit diversas opiniones. Tertio de significatione partium fractionis. Secunda ibi. Solet etiam quaeri de fractione. Tertia ibi. Quid autem illae partes significant. Tertia autem pars principalis, in qua determinat de effectu huius sacramenti dividitur in duas. Quia primo determinat huius sacramenti effectum. Et secundo inquit de modo utendi ibi. Si autem quaeritur utrum quotidie. Hec est sententia & divisio lectionis in generali.

1 IN speciali sic procedit, & primo ponit quod in hoc sacramento remanet accidentia sine subiecto, quia ibi non est nisi substantia corporis & sanguinis Christi, quae non

afficitur talibus accidentibus, remanent tamen accidentia ad ministerium ritum, ad fidei suffragium, & etiam propter gustum, qui est usus sacramenti. Postea quaerit utrum in hoc sacramento sit vera fractio. Et ponit opinionem aliquorum dicentium quod non, licet videatur ibi fractio esse, non tamen est propter hoc illusio, quia non fit ad deceptionem, sed ad fidei utilitatem. Alii vero dicunt quod ibi verum frangitur corpus Christi, & tamen remanet integrum per miraculum. Quod confirmant ex confessione Berengarii quae ponitur in litera. Magister tamen tenet quod est ibi vera fractio in speciebus sacramenti, & non in substantia corporis Christi, imo sub qualibet parte fractionis est totus Christus, quod confirmat per auctoritatem Hilarii in litera. Postea dicit quod partium fractionis una significat corpus Christi quod iam resurrexit, & est in caelo. Alia significat corpus Christi vivens in mundo. Tertia vero significat corpus Christi iacens in sepulchro: quae significatio potest adaptari corpori Christi mystico. Deinde quaerit utrum illud quod gerit sacerdos celebrando missam possit dici sacrificium, vel immolatio Christi. Et dicit quod sic sub hoc sensu, quia est memoriale sacrificii & immolationis quibus Christus fuit immolatus in cruce. Et non per Christum singulis diebus occidatur. Quod confirmat multis auctoritatibus. Postea dicit quod hoc sacramentum duobus de causis institutum est, scilicet in augmentum charitatis, & in remedium nostrae infirmitatis. Quia quum quotidie labimur in peccatum saltem veniale, indigemus hoc sacramento per quod delentur. Vltimo inquit de modo utendi hoc sacramentum, unde videlicet sit quotidie communicandum. Et dicit ex sententia Augustini quod quotidie communicare, nec est laudabile, nec vituperabile; dicitur tamen consuetudines ecclesiae fuerit circa hoc. Quia primo communicabant fideles singulis diebus dominicis. Postea propter minoris devotionem statutum fuit quod communicaretur in anno ter, scilicet in Paschate, in Natali & in Pentecoste. Vltimo refrigerante charitate statutum est saltem quod semel in anno communicent omnes fideles, scilicet Paschate, ut habetur extra de poen. & re. cap. Omnes viri quae sexus. Et in hoc terminatur sententia lectionis in speciali.

QUESTIO PRIMA.

Utrum Deus possit facere quodlibet accidentis sine subiecto.

Thom. 3. q. 77. art. 1. & 2.

CIRCA distinctionem istam quaeruntur quatuor. Primum est de modo existendi accidentium in hoc sacramento. Secundum est de missione quae potest fieri cum speciebus vini consecrari. Tertium est de effectu huius sacramenti. Et quartum de eius frequentatione. Quantum ad primum quaeritur utrum Deus possit facere quodlibet accidentis sine subiecto. Et arguitur quod non, quia sicut relatiui esse, est ad aliud esse, scilicet ad correlatiuum, sic accidentis esse, est in alio esse, scilicet in subiecto. sed nulla virtute potest fieri quod relatiuum sit, & non dicatur ad aliud correlatiuum, ergo nullo modo potest fieri quod accidentis sit & non sit in alio.

2 Item sicut se habet quantitas ad substantiam, sic qualitas ad quantitatem, sed qualitas nulla virtute potest esse sine quantitate, ut probabitur, ergo quantitas non potest esse sine substantia. Probatio minoris, quia impossibile est quod aliquid participet naturam speciei & non generis, eo quod genus includitur in specie. Sed istud sequeretur si qualitas posset esse sine quantitate. Si enim albedo hostie separaretur a quantitate, ipsa maneret in specie albedinis & tamen ipsa non esset in genere qualitatis sensibilis, non enim posset immutare visum, quare &c.

3 IN contrarium arguitur, quia sicut accidentis esse, est inesse, ita esse substantiae completae est, per se esse. Sed Deus potest facere quod substantia completa non sit per se, sed in alio: ut est de humana natura in Christo, ergo potest facere de accidente, quod non sit in alio, sed per se.

4 RESPONSIO. Intelligendum est quod accidentium quaedam sunt absoluta, quaedam respectiva. Vocatur autem ad praesens accidentis respectivum non ex respectu ad subiectum, vel fundamentum in quo est, quia sic omne accidentis est respectivum & nullum absolutum. Sed vocatur respectu



respectuum illud cuius essentia est ad aliud habitudo, & esse ad aliud se habere, ut est relatio & quacunq; includunt respectum essentialiter. Absolutum autem est cuius essentia non est habitudo ad aliud nec esse eius est ad aliud se habere, sed est in se quaedam natura & non solum modus naturae ut quantitas & qualitas.

Est autem inter haec accidentia duplex differentia. Prima est quod accidens absolutum est quaedam natura in se cui competit aliquis modus essendi. Accidens autem respectuum solum est modus essendi alterius partis. Secunda differentia est, quia accidentia absoluta proprie dicuntur esse in subiecto, sed respectiva in illa natura in qua immediate sunt magis dicuntur esse sicut in fundamento quam sicut in subiecto.

His suppositis dicendum est quod accidens respectuum nullo modo potest esse sine suo fundamento accidens autem absolutum potest esse sine quocunq; subiecto. Primum patet dupliciter. Primo sic: omne illud quod potest per se & in se existere est res habens modum, & non solum modus rei. Ex quo enim est, res est, ex quo per se est, habet modum essendi, scilicet quod est per se. Sed accidens respectuum prout de ipso loquimur est solum modus rei, & non res habens modum (ut dictum est) ergo non potest per se & in se existere. Item omne illud quod potest per se & in se existere si alii vniatur facit cum eo compositionem. Sed respectus vel accidens respectuum non facit cum suo fundamento compositionem (ut probatum fuit in 1. lib. cum de relationibus ageretur) ergo accidens relatiuum non potest per se & in se existere. Maior probatur: quia res per se & in se subsistens non est solum modus rei (ut dictum est) sed res habens modum. Talis autem est res simpliciter quae addita alii facit compositionem (ut dictum est similiter in primo libro) ergo &c. Et sic patet primum.

Per idem patet quod numerus qui est quantitas discreta, & multitudo quae est de transcendentibus non possunt esse sine suo fundamento, quia non dicuntur res sed modos rerum. Vnum enim quod est principium numeri, & vnum quod est principium multitudinis transcendentis circa materiam in qua fundantur non dicunt nisi indiuisionem, quae cum sit priuatio non est accidens separabile. Numerus autem & multitudo transcendentis non dicunt nisi diuisionem circa res quibus conueniunt: diuisionem autem non est res habens modum, sed solum modus rei, propter quod nec numerus potest esse sine rebus numeratis, nec multitudo sine his quae multa dicuntur. Simili modo dicendum est de motu quod nullo modo potest esse sine eo in quo immediate fundatur. Fundatur autem motus localis in mobili mediante quantitate secundum quam habet prius & posterius, quae sunt partes intrinsecae motus. Motus vero alterationis fundatur in mobili mediante qualitate habente gradus intentionis & remissionis, sed motus localis super quantitatem non dicit nisi modum se habendi continualiter & aliter respectu loci, & motus ad formam non dicit nisi modum quo mobile habet formam aliquam se habet continualiter respectu formae quo ad gradus eius, propter quod licet motus localis possit esse sine substantia mobili, non potest tamen esse sine quantitate, & si militer motus alterationis potest esse sine substantia sed non sine qualitate in qua immediate fundatur. Patet ergo primum, scilicet quod accidens respectuum & quocunq; aliud quod non est res nisi quia est modus rei, non potest quacumq; virtute a suo fundamento separari.

Secundum est, scilicet quod Deus possit facere omne accidens absolutum sine subiecto: quod probatur & quibusdam nouis doctoribus hoc modo. Deus potest facere quae libet rem sine causis eius extrinsecis, licet non possit eam facere sine causis intrinsecis sicut potest facere hominem, qui non generetur ab alio homine: tamen non potest facere hominem, sine anima & corpore, quae sunt causae eius intrinsecae. Hoc enim implicat contradictionem, sed non primum: subiectum autem non est causa intrinseca accidentis absoluti, ergo Deus potest facere quocunq; accidens absolutum sine subiecto. Maior declarata est. Minor probatur, quia materia in qua nunquam est causa intrinseca, sed solum materia ex qua: subiectum autem respectu accidentis solum est materia in qua, & non ex qua, ergo &c.

Quicquid sit de conclusione, ratio tamen ista non va-

let: equaliter enim concludit quod accidens respectuum possit esse sine suo fundamento, sicut accidens absolutum sine suo subiecto: quia sicut subiectum non est causa intrinseca accidentis absoluti, quia non est materia ex qua, sed in qua: sic fundamentum non est causa intrinseca accidentis respectui, quia non est eius materia ex qua, sed in qua, ergo si propter primum accidens absolutum potest esse sine subiecto, eadem ratione accidens respectuum poterit esse sine suo fundamento, hoc autem est falsum, ut statim probatum fuit supra, quare &c. Quod ergo dicitur quod Deus potest facere omnem effectum sine causis extrinsecis dicendum est quod quauis Deus possit supplere vicem cuiuslibet liber causae efficientis, ut sine ea ita possit facere quicquid facit ea mediante, non potest tamen alias habitudines extrinsecas causarum vel non causarum supplere. Non enim potest facere velle sine cognoscere, nec videre sine obiecto terminante visionem, & tamen istorum vnum non est intrinsecum alteri.

Ideo dicendum est aliter tenendo eandem conclusionem, sed probando per aliam rationem quae talis est: Illud de cuius intrinseca ratione non est habitudo ad alterum potest diuina virtute esse absque quocunq; altero. Sed omne accidens absolutum eo modo quo expositum est, est tale quod de eius intrinseca ratione non est habitudo ad alterum, ut in quo sit tanquam in subiecto, ergo omne accidens absolutum potest esse diuina virtute sine quocunq; subiecto. Maior patet, quia Deus potest facere quicquid non implicat contradictionem, vel repugnantiam intellectuum, quod idem est. Sed quod illud quod non includit in ratione sua intrinseca habitudinem ad alterum potest esse sine illo altero non implicat contradictionem (ut de se patet) quia non est repugnantia intellectuum, ubi aliquid intelligitur absque eo quod non est de sua ratione, ergo Deus potest facere quocunq; ens de cuius ratione non est habitudo ad alterum sine illo altero. Minor similiter patet ex his quae dicta sunt prius, quia vocamus accidens absolutum illud cuius essentia non est respectus nec esse est ad aliud se habere. Et ideo de ratione intrinseca talis accidentis non est habitudo ad aliud, licet consideratur. Et sic patet minor, sequitur ergo conclusio.

A. D. primum argumentum dicendum quod relatiuum potest accipi dupliciter. Vno modo pro extremo relato. Alio modo pro ipso relatiuo. Si primo modo, sic maior est vera: quia sicut se habet album ut sit alteri simile, vel quocunq; extremum relationis, ut actualiter referatur ad aliud, sic se habet quocunq; accidens, ut sit in subiecto actualiter. Et tunc minor est falsa, quia Deus potest facere quod extremum relationis non referatur actualiter ad aliud, sicut quod album sit, & ad nihil referatur relatione similitudinis, quod fieret si vnicum album esset. Et eodem modo potest Deus facere quod accidens absolutum non sit actualiter in subiecto, puta sacramento: si vero relatiuum accipitur pro respectu relato, sic maior est falsa, quia talis relatiui esse, est ad aliud esse: & haec est predicatio per essentiam distinctionis de diffinito, sed cum dicitur quod accidentis esse, est in esse: intelligendum est non per essentiam, sed per concomitantiam, quia naturaliter loquendo accidens non esset nisi in esse, quae autem sunt vnum per concomitantiam nihil prohibet ea separari, quae autem sunt vnum per essentiam semper sunt inseparabilia.

Ad secundum dicendum quod qualitas separabilis est a quantitate: sicut quantitas a substantia. Et quum dicitur quod tunc aliquid esset in specie quod non esset in genere, quia albedo separata non esset qualitas sensibilis, quae est genus ad albedinem. Dicendum quod qualitas sensibilis non est nomen generis ad colorem & ceteras qualitates, sed est circumlocutio proprii nominis quod est nobis ignotum: quia nomen generis solum importat ea quae sunt intrinseca rei, esse autem sensibile dicit habitudinem non rei, sed rationis ad alterum, scilicet ad sensum, sicut scibile dicit habitudinem rationis ad scientiam, vel dato quod qualitas sensibilis esset nomen generis ad colorem & ceteras qualitates motiuas sensuum: posset verè dici quod albedo separata esset qualitas sensibilis: nec obstat quod sic existens non possit sentiri, quia in ultra impedit actum, quae non tollunt potentiam, & requiruntur ad actum praeter



potentiam, Quia secundum ordinem naturæ sicut non quodlibet agit in quodlibet, ita nec quolibet modo, sed determinato, propter quod licet albedo separata quantum est de se sit motiva sensus, non tamen habet modum talis existentia, ut actu possit moveri ipsum, quia sicut organum sensus est quantum, ita oportet motuum esse quantum.

QVÆSTIO SECVNDA.

Vtrum species sacramentales possint aliquid

naturaliter immutare.

Theo. 1. q. 77. ar. 3. & sequentibus.

**I**uxta hæc queritur vtrum species sacramentales possint aliquid naturaliter immutare. Et videtur quod non, quia maior virtus est angelus quam sint species in sacramento remanentes, sed angelus non potest immediatè immutare aliquid quod ad formam, ergo nec tales species. Maior patet, quia angelus de se est subsistens, species autè sacramentales non subsistunt à se, sed diuina virtute: propter quod angelus sicut perfectior est in subsistendo absque materia, sic perfectior esse videtur in agendo circa materiam. Minor patet ex his quæ dicta sunt lib. 1. dist. 7.

Item omne agens naturale in agendo repetitur, si ergo species sacramentales possint aliquid naturaliter immutare sequeretur etiam quod possent ab alio naturaliter immutari, sed istud non videtur, quia si immutarentur ita ut de se fierent esse, aut cederent in potentia materiae, aut annihilarentur, non potest dici quod cedant in potentia materiae, quia nulla materia subest eis, nec quod annihilarentur, quia sicut virtus naturæ non se extendit ad producendum aliquid ex nihilo, ita nec ad conuertendum aliquid in nihil.

In contrarium est quia omne quod sentitur immutari sensum, sed species existentes in sacramento naturaliter sentiuntur, quia color videtur, & sapor gustatur, ergo immutant sensum.

Item apparet sensibiliter quod aliquid ex speciebus corruptis generatur, ut vermes ex putrefactione, & quedam talia quod non esset nisi possent sensibiliter immutari, etiam vltimè ad defitionem.

**R**ESPONSIÒ. Videnda sunt duo. Primum est vtrum species sacramentales possint aliquid naturaliter immutare. Secundum est vtrum naturaliter possint ab alio immutari.

**Q**UANTVM ad primum dicendum est quod species sacramentales possunt aliquid immutare naturaliter immutatione accidentali & etiam immutatione substantiali. De immutatione accidentali patet sic: Illud quod habet idem esse naturale & naturaliter vt prius habet idem agere naturale & naturaliter vt prius, sed qualitates secundum quas est omnis immutatio accidentalis habet in hoc sacramento idem esse naturale quod prius habebat & modo naturali sicut prius, ergo sicut prius ante conuersionem substantiæ panis & vini poterant aliquid immutare accidentaliter, ita possunt post conuersionem. Maior de se patet, minor etiam non videtur dubia, quia qualitates manentes in hoc sacramento sunt id ipsum quod prius erant & in eodem subiecto proximo sunt in quo prius erant, scilicet in quantitate, quod si quantitas non subsistat naturaliter, nihil contra propositum, quia quantitas non est principium alicuius actionis naturalis, quia motus & actio non sunt in mathematicis, & si esset adhuc naturaliter, ageret sicut naturaliter locum occupat, quantum non naturaliter subsistat: licet enim agere supponat esse non tamen sunt idem. Et ideo illud quod habet suum naturale esse quod habebat prius (licet non eodem modo quo prius) potest naturaliter agere in aliud, si tamen sit alicuius actionis principium.

De immutatione vero substantiali potest idem probari per hunc modum, quia illud quod potest naturaliter in alteratione ad quam necessariò sequitur corruptio potest ex consequenti in ipsam corruptionem, sed species sacramentales possunt naturaliter in alteratione ad quam necessariò sequitur corruptio: sicut species vini naturaliter possunt alterate modicè aquam sibi appositam totaliter quod ad qualitates eius vt statim probatum est. Ad hanc autem alterationem sequitur naturaliter corruptio aque, vt patet ex 2. de generatione vbi ostendit. Philosophus quod elementa sunt inuicè transmutabilia quo ad substantiam, eo quod

sunt transmutabilia secundum qualitates, ergo species sacramentales vini possunt naturaliter transmutare parum aquam sibi appositam corrumpendo ipsam. Generare autè in materia aquæ corruptæ aliquam formam substantialem naturaliter non video quod possint. Quia si possent aut hoc esset virtute propria, aut virtute alicuius substantiæ. Non virtute propria, quia tunc ageret vltra propria speciem, nec virtute alicuius substantiæ, quia non virtute substantiæ cui insunt, quia sunt absque subiecto, nec virtute substantiæ vini in qua prius erant, quia secundum ordinem naturæ nullum instrumentum potest agere in virtute principalis agentis nisi fuerit actualiter coniunctum, vel nisi receperit ab eo formam immanentem per quam possit agere, sicut semen, quia recipit ab anima patris formam aliquam immanentem, per quam post suam defitionem agit in virtute principalis agentis, licet separatim ab eo. Sed species vini sunt actualiter separate à substantia vini in qua prius fuerunt, nec habent in se aliquam formam immanentem sibi impressam à substantia vini, ergo in virtute eius non possunt aliquid aliud substantialiter immutare introducendo in virtute eius formam substantialem. Oportet ergo quod corrupta forma aquæ per actionem specierum vini, aut quod materia remaneat sine forma substantiæ, quod forte non est possibile, vt declaratum in 1. lib. di. 12. Aut quod virtute diuina forma substantiæ ibi in materia introducat quod non est Deo impossibile. Si ergo introducat forma substantiæ oportet quod hoc sit concurrente actione diuina, vel potius hoc principaliter faciente.

Et sic intelligo id quod aliqui doctores dicunt, scilicet quod sicut virtute diuina accidentia habent illud idè esse quod prius habebant in substantia, sic eadè virtute habet omne agere non solum accidentaliter, sed substantialiter, quod prius habebant. Constat autè quod accidentia non habent idè esse quod prius nisi concurrente actione diuina imò hoc faciente. Non enim per se subsisteret subiecto nisi virtute diuina hoc faciente, & sic cõseruante. Et eodè modo dicendū est de actione quam habet maximè respectu substantiæ generandæ: Et sic patet primum.

Quantum ad secundum scilicet vtrum tales species possint naturaliter immutari & totaliter corrupti. Dicendum est quod cum in speciebus sacramentalibus sint quantitas & qualitas, qualitas potest immutari naturaliter & totaliter corrupti, non sic autè quantitas. De qualitate patet sic: ad alterationem & totalem corruptionem qualitatis sufficit contrariū prædominans & subiectū suscipiens. Sed respectu qualitatis existentium in speciebus sacramentalibus potest inueniri contrariū prædominans (vt de se patet) quia qualitatibus modicis in sacramento contrariarum qualitates aquæ magna & cum prædominio. Est etiam ibi subiectum commune susceptiuum, quia quantitas quæ subest qualitatibus vini quantum est de se, nata est æqualiter recipere qualitates aquæ, quia non plus determinat sibi has quam illas, ergo qualitates specierum vini in sacramento possunt naturaliter alterari & totaliter corrupti.

De quantitate autè quomodo possit corrupti naturaliter non sic patet, quia si corrumpatur naturaliter hoc esset, vel actione contrariæ, vel corruptione subiecti, vel diuisione sui. Non primo modo, quia quantitas non habet contrariū: nec secundo modo, quia in hoc sacramento non habet subiectū: nec tercio modo, quia omne quod corrumpitur diuisione sui habet terminum in minus, sed quantitas non habet terminum in minus, sed est de se diuisibilis in infinitum, ergo diuisio non corrumpit quantitatē per se, corrumpit tamen eam per accidens corruptione subiecti vbi est in subiecto, quod non potest fortissimè in quantitate quantum saluari. Excludit ergo subiectū a quantitate nulla diuisio potest corrumpere ipsam naturaliter, nullo ergo modo potest quantitas in hoc sacramento corrupti naturaliter. Si ergo corrumpatur, oportet quod corrumpatur virtute diuina: quod potest esse in duobus casibus, scilicet vt ad corruptionem qualitatum corrumpatur quantitas diuina virtute, quia quantitas non subsistit sine subiecto nisi quantum pertinet ad hoc sacramentum, hoc autem sacramentum definit esse corruptis qualitatibus sicut infra dicitur, ergo conueniens est quod eis corruptis corrumpatur



& quantitas diuina virtute. Et iterum conueniens est quod corruptatur per diuisionem sui per qua corrupteretur si esset in subiecto. Cum Deus det ei simile existentiam in se quam habebat in subiecto prius existente. Hæc tamen corruptio non fit pure virtute nature, vt dictum est. Et quia corruptio specierum non est sine generatione. Videmus enim ex speciebus sacramenti incaute cõseruatis vermes generari, oportet ergo quod virtute diuina adueniat materia qualitercunq; hoc fit quia genitum nõ est forma subsistens, sed est compositum ex materia & forma. Idem videtur esse sentiendum an species sacramentales possint nutrire, quia cum nutritio fiat per hoc quod materia aliter fit sub forma nutriti, & sub speciebus sacramentalibus, nulla est materia, sed oportet quod de nouo fiat ibi materia virtute diuina ad hoc vt fit nutritio.

11 AD primum arg. dicendum, quod non est simile de angelo & de speciebus sacramentalibus existentibus in hoc sacramento: quia angelus non potest immediate dare formam aliquam, vt declaratum est in. 2. li. qualitates autem corporales habent generare qualitates sibi similes & corrumpere cõtrarias, propter quas possunt transmutare aliquid sicut poterant manente subiecto saltem transmutatione accidentali & substantiali necessario concomitare, vt est corruptio, quia nihil subiectum conferbat ad actiones specierum quo ad alterationem & corruptionem aliam rem nisi quod in ipso erant qualitates actiue, & hoc idem fit in hoc sacramento per subiectum proximum, scilicet licet per quantitatem.

12 Ad secundum dicendum, quod species que corrumpuntur naturaliter secundum qualitates non annihilantur pluraquam quæcunq; alia forma quæ cedunt in potentiam materiam, quia & iste cedunt in potentiam subiecti cui immediate insunt, scilicet quantitates. Ipsa autem quantitates non corrumpuntur naturaliter, vt ostensum est. Et si corrumpantur vel definat esse virtute diuina, potest dici quod annihilatur, nec est hoc apud Deum inconueniens quod aliquid per eum cedat in nihilum, sicut omnia per ipsum facta sunt ex nihilo.

QVÆSTIO TERTIA.

Vtrum definat esse sanguis Christi per admissionem noui vini speciebus vini consecrati.

Tho. 3. q. 77. ar. 8.

Secundo quaeritur si speciebus vini consecrati admiscetur alius liquor an definat ibi esse sanguis Christi. Et videtur quod sic: quia idem accidens in numero nõ potest simul esse in subiecto & sine subiecto, sed hoc sequetur si post admissionem alicuius liquoris ad species vini consecrati remaneret ibi sanguis Christi, ergo & Maior patet, quia esse in subiecto, & non in subiecto contradicunt. Et ideo simul esse nõ possunt. Minor probatur, quia admissio vini speciebus vini consecrati efficitur vna quantitas continua vtriusq; scilicet vini admissi & specierum præexistentium. Si igitur sub speciebus præexistentibus maneret sanguis Christi cum non afficiatur eis tunc sunt sine subiecto. Species autem vini admissi sunt in subiecto. Cum ergo sit vna quantitas huius & illius, sequitur quod sit sine subiecto & in subiecto.

2 Item quælibet pars misti est mista. Si ergo aliquis liquor misceatur speciebus vini consecrati, quælibet pars totius misti erit mista. Non ergo erit seorsum signare liquoris appositum & species præexistentes, ergo per totum mistum est substantia liquoris appositum, sed sanguis non est in hoc sacramento cum substantia alterius corporis, ergo per talem admissionem definit ibi esse sanguis Christi.

3 IN contrarium arguitur, quia manentibus speciebus consecratis manet sanguis Christi sub eis. Sed non per quamcunq; admissionem alterius liquoris definunt ibi esse species vini consecrati, vt pote si admiscetur modicum de vino, vel modicum de aqua, ergo per talem admissionem non definit ibi esse sanguis Christi.

4 RESPONSI O. Circa materiam istam oportet procedere ex vno principio, scilicet quod sanguis Christi manet in hoc sacramento quando manent species consecratae. Et rationabiliter, quia cum sanguis Christi non sit ibi nisi ratione cõsecrationis, manente cõsecratione que semper manet siante materia consecrata, manet ibi & san-

guis Christi. Quo supposito dicendum est ad quaestionem quod liquor appositus speciebus sacramenti aut est alterius speciei aut eiusdem: si alterius vt pote cum aqua admiscetur vino consecrato, aut appositum est maius illo cui apponitur vel æquale, aut minus: si in maius vel æquale non solum quantitate, sed virtute corrupitur, species vini & definit sub his sanguis Christi secundum principium præassumptum, quod autem definat ibi esse species quantum ad qualitatem saporis, coloris & huiusmodi non est difficile videre, quia vt dicitur. i. Phisic. ad agendum sufficiunt duo cõtraria, vnum verò subiectum ad patendum. Sed hic est dare cõtrarietatem inter qualitates eius quod apponitur, puta aquæ vel illius cui apponitur, subiectum verò passibile sub vtraq; qualitate cõtraria est quantitas quæ de se nata est subiecti cõtrariis, ergo ista sufficiunt ad hoc vt qualitates specierum vini per admissionem cõtrarii, puta qualitatis aquæ corrumpantur.

5 De quantitate autem eis subiecta qualiter corrumpatur per admissionem cuiuslibet liquoris nõ clarè patet. Non enim corrumpi potest per actionem cõtrarii, nec per corruptionem subiecti, nec per diuisionem vt deductum est in præ. quaestione. Et ideo si corrumpitur diuina virtute, corrumpitur modis quibus dictum fuit prius, sed esto quod non corrumpatur, corruptio tamen qualitatum sufficeret ad hoc vt sanguis Christi defineret esse ibi propter duo. Primum est quia species vini pertinet ad sacramentum quatenus representat substantiam vini quæ conuersa est, sed substantiam vini magis demonstrant & repræsentant qualitates quæ quantitates, quia quantitas est omnibus cõmunis. Qualitates autem aliquæ sunt propriæ secundum naturam formæ specificæ, ergo qualitates vini magis pertinent ad sacramentum quæ quantitas, ipsis ergo corruptis definit sacramentum. Secundum est, quia sacramentum est signum sensibile vt patet ex eius diffinitione. Est enim inuisibilis gratiæ visibilis forma. Sed species sunt magis sensibiles ratione qualitatum quæ ratione quantitatis, ergo magis pertinent ad sacramentum quæ quantitas vt eorū corruptio sufficit ad corruptionem sacramenti. vnde Inno. tertius dicit quod vbi similitudo deficeret, sacramentum nõ esset: similitudo autem attenditur secundum qualitates.

6 Si autem quod apponeretur esset minus, puta parua aqua, sic dicendum est quod corrumpatur a speciebus vini quæ possunt alterate totaliter aquam, ad quæ alterationem sequeretur corruptio aquæ, vt dictum est in præ. quaestione. Et quia materia aquæ non maneret sine forma aliqua, oportet quod virtute diuina in materia aquæ corrupta introduceretur forma substantialis non alia quam vini, quia illa est magis cõcours qualitatis quæ corrumpunt aquam, & sic aqua facta vinum admisceretur speciebus vini. Et hæc admissio esset similis secundum speciem, propter quod coincidet cum secundo membro, de quo dictum est, quod aut liquor appositus speciebus vini est eiusdem speciei quo ad naturam substantiæ & qualitatum, vt pote si de eodem dolio primo consecraretur vinum & postea consecrato apponeretur simile non consecratum, aut est eiusdem speciei quo ad substantiam, sed non quo ad aliquas qualitates. vt si vino rubeo consecrato apponeretur vinum album non consecratum. In primo casu dicendum est quod siue illud quod apponitur speciebus vini consecrati sit maius, siue æquale, siue minus species vini præexistentis non definunt esse, nec sanguis Christi sub eis. Cuius ratio est, quia simile non corrumpit simile. Sed contingit quod liquor appositus speciebus vini sit per omnia similis ei & sic ponitur in proposito vt cum de eodem dolio vtrumq; vinum accipitur, ergo per appositionem talis liquoris species præexistentes non corrumpuntur. Vterius ex hoc arguitur sic: quotienscunq; quantum additur quantum manente quantitate vt iusq; quantumcunq; fiat vnum continuum, semper tamen distinguuntur secundum positionem & situm: quia duæ quantitates etiam si sint partes vnius quantitatis continue necessario distinguuntur situ & positione. Sed sic est in proposito vt ostensum est, quia vnum appositum & species quibus apponitur manet quo ad quantitatem suam & quo ad qualitates, ergo quantumcunq; faciant vnum secundum continuitatem, eo quod sunt sensibilia secundum speciem & vtrumq; liquidum propter quod de facili cõtinuantur, semper tamè distinguuntur.



secundum s<sup>u</sup>m. Hanc autem continuationem quantatis & nihilominus distinctionem secundum s<sup>u</sup>m nō sic intel ligo q<sup>o</sup> totum vinum appositum sit ex vna parte & species vini consecrati ex alia, & continentur solum secundum vnum larus in que applicetur, quemadmodū in infusione ramus appositus trunco continuatur ei solum secundum extremitatem vnam, si tamen sit ibi vera continuatio. Quia talis modus continuationis est contra naturā liqui dorum, sed subintrat vni alterum secundū paruas partes porosas & cedit vnum alteri. Semper tamen distinguitur situ partes vtriusque vini licet imperceptibiliter propter paruitatem partium & similitudinem earum, & ideo sub partibus specierū vini præexistentis manet sanguis Christi & non sub partibus vini appositi. Et confirmatur, quia omnes doctores communititer dicunt quod sanguis Christi non definit esse sub speciebus vini consecrati nisi per talem alterationem seu immutationem per quam desineret ibi esse substantia vini si subesset. Sed constat quod per appositionem vini omnino similis, substantia vini præcedens nullo modo desineret ibi esse, ergo per appositionem vini similis in substantia & qualitate vino consecrato & speciebus eius non definit corpus Christi esse sub speciebus prioribus vini consecrati.

7 Si autem liquor appositus sit eiusdem speciei quo ad substantiam nō autem quo ad aliquas qualitates, sicut si vino rubeo consecrato apponeretur vinum album nō consecratum, tunc videtur per talem appositionem si fiat in notabili quantitate q<sup>o</sup> quantitates vini consecrati cor rumpantur: sensus enim docet quod color mutatur. Sed nunquid propter hoc definit ibi esse sanguis Christi? Videtur quod sic per rationem prius factam, quia desinūt ibi esse qualitates quæ demonstrabant vinum prius conse cratum. Illud enim fuit vinum rubeum, sed hoc non ob stāte probabiliter potest teneri quod adhuc remaneat san guis Christi ac si fuisset appositum vini totaliter simile. Quia præcedens color nō est corruptus nec nouus genera tus secundū rem, sed solum secundū apparentiā per seculi positionem paruarum partium vtriusq<sup>ue</sup> liquoris q<sup>o</sup> ex eo possit hoc aliquis credere, quia color qui resultat ex appo sitione vini albi cum rubeo nunquam apparet ita purus, nec ita vniformis in suis partibus, sicut si esset naturalis, vel dato quod præcedens color corrumpatur non obstat quo ad propositum, quia corruptio vel variatio illarū spe cierum quæ se habent per accidens ad sacramentum non immutat ipsū. Sed variatio albi & nigri circa vinum se habet per accidens ad sacramentū, potest enim confici de vno sicut de alio. Itē etiam qualitates nō propriē demon strant speciem vini cum possint in aliis rebus inueniri. Non sic autē est de sapore vel aliquo tali, ergo corruptio vel mutatio talium qualitarum non mutat sacramētum, & potest confirmari per rationem immediatē prius factā, quia substantia vini non desineret esse per solam altera tionem de colore in colorem, & eodē modo nec sanguis Christi secundum principium præassumptum.

8 AD primum argu. dicendum quod nihil prohibet quin accidens quod habet partes extensas, vt est quāritas, secundum vnam partem sit in subiecto & secundū aliam non sit in subiecto, nec est hic aliqua contradictio, quia li cet idem sit in subiecto & non sit in subiecto, non tamen secundum idem: & sic est in hoc sacramento quando ap ponitur ei liquor similis secundum speciem.

9 Ad secundum dicendum est quod in appositione si milium non est mistio propriē dicta secundum quem que libet pars misti est mista, de qua loquitur Arist. primo de generatione. Illa enim mistio diffinitur secundum ipsum quod est miscibilium alteratorum vno. Et loquitur de al teratione quæ inducit corruptionem: sic enim alterantur elementa quando veniunt in compositionem misti, quia non manent actū, neq<sup>ue</sup> secundum suas formas substantia les, neq<sup>ue</sup> secundum suas qualitates actiuas & passiuas, sed virtute tantum quatenus forma misti & qualitates eius virtuali perfectione cōtinent formam miscibilium, & qua litates eorum. Similia autem secundū speciem si sint quo ad omnia similia nullo modo se alterant: si verō sint simi lia secundum speciem substantiæ, & dissimilia secundum qualitates aliquas, sicut vinum album est dissimile rubeo sic possunt se alterare aliquo modo, sed non corrumpere.

mistio ergo talium est per seculi positionem partium, ita quod nulla pars est ibi mista, sed totum dicitur mistum quatenus continet partes diuersorum.

## QVÆSTIO QVARTA.

Vtrum effectus Eucharistiæ sit augmentum gratiæ seu charitatis.

Tho. 3. q. 79.

**T**ertio queritur de effectu huius sacramenti. Et vide tur quod effectus eis non sit augmentum charitatis, vel gratiæ: quia sicut baptismus est spiritualis regenera tio, sic confirmatio est spirituale augmentum. Sed spiri tuale augmentum est per charitatem vel gratiam, ergo augmentum charitatis & gratiæ debet attribui confirma tioni & non eucharistiæ.

2 Item spirituale augmentū charitatis & gratiæ non videtur impediri per peccatū veniale, eo quod neutri opo nitur, sed effectus sacramenti eucharistię impeditur per peccatū veniale, vt communiter ponitur, ergo effectus eius non est augmentum charitatis, & gratiæ.

3 IN contrarium arguitur, quia Dion. attribuit huic sacramento virtutem perfectiōis, sed perfectiō spiritualis non est nisi per augmentum gratiæ & charitatis, ergo &c.

4 **R**ESPONSIO. Aduertendum est quod propriē loquendo aliud est querere de effectu huius sacramenti, & aliud est querere de effectu quem facit materia conse crata indignē suscipiente. Sacramentum enim istud consi tit in sola consecratione materiæ siue postea veniat in vsum alicui suscipientis, siue non. Et ideo totus effectus eius consistit in hoc q<sup>o</sup> per consecrationē sunt ibi corpus & sanguis Christi. Iste tamen sensus cōmuniter non intē ditur ad mouentibus prædictam quæstionē, sed intendunt querere de effectu quem habet materia consecrata in illo qui eam dignē suscipit. Ipsa enim materia consecrata fre quenter vocatur sacramentum. Sic ergo intelligēdo quæ sitionem dicendum quod proprius effectus eius positus est conseruatio vitæ spiritualis, & eius fornicatio cum au gmento. Cuius ratio est, quia istud sacramētum sumitur per modum alimēti, itē qualem effectum corporalem habet alimentum corporale in suscipiente ipsum debite, talem effectum spiritualem habet hoc sacramentū in sus cipiente ipsum dignē, sed per alimētum corporale debite sumptum conseruatur vita restaurando deperditum, con fortatur, & roboratur natura, & augmentum recipit quā diu durat tempus augmenti, ergo per hoc sacramentum tanquam per alimentum spirituale conseruatur vita spiri tualis per restauracionem seruoris charitatis & deuotio nis quandoq<sup>ue</sup> deperditū. Confortatur etiam, & augmenta tur, quā diu durat vita presens, quia tandiū durat tempus augmenti spiritualis. iustus enim in via semper potest proficere, licet tempus augmenti corporalis non rante tum duret, & iste est primus positus effectus huius sacra menti in illo qui sacramentum dignē suscipit. Et sicut na tura roborata per alimentum debite sumptum melius res sinit nocuis non solum mortem inferentibus, sed etiam ad eam disponentibus. sic anima per istud sacramentum dignē sumptum spiritualiter confortata & roborata me lius cauet a peccatis mortalibus & a venialibus quæ ad mortalia disponunt, sicut scriptum est in Psalmo: Parsū in conspectu meo mensam aduersus eos qui tribulat me. Sicut esus agni paschalis seruauit populum Dei ab ange lo exterminatore, & manna ab infirmitate, quia non erat in tribus eorum infirmus.

5 Omnis autem alius effectus est consequentiū ad præ dictos principales effectus, vt est remissio venialium quæ consequitur ad augmentū deuotionis & seruoris inquan tum homo dignē accedens ad hoc sacramentū per debita deuotionem detestatur omne illud quod displicet Deo. Dico autem de effectu huius sacramenti quæ habet in sus cipiente inquantū est sacramētum. Sed inquantū est quod dam sacrificium Deo acceptissimū habet vim satisfactio nis ad tollendum penā debitam illi pro quo offertur siue sit pro peccato mortali, siue veniali, iam in viuīs, q<sup>ui</sup> in mor tuis, nec illam totā semper tollit. Sed quantum extendit se deuotio



deuotio ministris offerentis, & virtus sacrificii secundum beneplacitum Dei & dispositionem illius pro quo offertur. Culpam autem mortalem non delet in suscipiente, sed potius multiplicat. Quia qui māducat & bibit, &c. 1. Cor. 11. In illo autem pro quo offertur valet ad dimissionem peccati mortalis non per modum sacramenti quod solum prodest suscipienti, sed per modum sacrificii quo ipsi venia impetratur, nō immediate sed mediante contritione: quia ex merito Christi, & virtute huius sacrificii, & intentione ac deuotione offerentis pro ipso praedictum sacrificium ipsi contrito impetratur quandoque.

6 AD primum arg. dicendum quod augmentum corporale fit dupliciter. Vno modo per solam intentionem nullo alio addito. Et sic fit augmentum etiam in non viuētibz, per hunc etiam modum fit aliquo modo augmentum gratiae per omne sacramentum quando in suscipiente praesentat gratia. Et sic augere gratiam primo conuenit confirmationi quae est secundum sacramentum post baptismum, sed supponit gratia baptismalem & eam auget si eam inueniat. Alio modo fit augmentum specialiter in viuētibz per conuersionem alimēti in altum. Et hoc modo augere gratiam conuenit sacramento eucharistiae quod sumitur per modum alimēti, nisi quod tale alimēntum debet sumptum non conuertitur in nos, sed conuertitur nos in seipsum. Et per hoc fit in nobis spirituale augmentum.

7 Ad secundum dicendum quod effectus huius sacramenti impeditur per peccatum veniale, non quidem si sit in nobis solum secundum reatum, sed quando est in nobis secundum actum: tale enim peccatum veniale impedit debitam deuotionem quam actualiter debet habere suscipiens hoc sacramentum & per consequens impedit eius effectum, quia quauis non opponitur gratiae, vel charitati, opponitur tamen eius feruori & deuotioni accedens tali quam requirit sacramentum.

## QVÆSTIO QVINTA.

Vtrum sit laudabile sumere sacramentum  
Eucharistiae omni die.

Tho. 3. q. 30. ar. 10.

QVARTO quaeritur de frequentatione huius sacramenti, vtrum sit laudabile hoc sacramentum sumere omni die. Et videtur quod nō, quia si esset laudabile frequenter hoc sacramentum sumere quanto frequentius sumeretur, tanto esset laudabilius, sed maior esset frequentantia si pluries in die sumeretur, ergo laudabilius esset pluries in die sumere, quod non est verum, cum consuetudo ecclesiae habeat contrarium, ergo &c.

2 Item sicut baptismus representat dominicam passionem, ita hoc sacramentum, imō plus, quia Christus instituit hoc sacramentum dicit. Hoc facite in meam commemorationem Mat. 26. Sed non licet pluries baptizari, sed semel tantum, quia Christus pro peccatis nostris semel tantum mortuus est, ergo non licet pluries hoc sacramentum sumere, sed semel tantum.

3 IN contrarium est quod dicit Aug. de ver. do. Panis quotidianus est, accipe quotidie quod tibi proficit.

4 R E S P O N S I O. Dicenda sunt tria. Primum est quod quod die sumere hoc sacramentum est laudabile & expediens quantum ex genere facti. Secundum est quod abstinere a sumptione eius est quandoque laudabile ratione facientis. Tertium est quod inter laudabiliter sumentem & laudabiliter abstinentem melius facit qui sumit quam qui abstinet.

5 Primum patet sic, istud sacramentum est spirituale nutrimentum, vnde sub speciebus ad nutritionem pertinentibus nobis proponitur. Et ideo loquendum est de eo ad similitudinem nutrimenti corporalis. Ex hoc, sic. Sicut nutrimentum corporale ordinatur ad vitam corporis sic sacramentum hoc ordinatur ad vitam anime. Sed quotidiana sumptio alimēti corporalis expediens est ad conseruationem vite corporalis, ne propter continuam deperditionem naturalis humiditatis (si non fieret restauratio deperditi per sumptionem alimēti) sequeretur mors nature, ergo similiter ad conseruationem vite spiritualis est expedies & laudabilis quotidiana sumptio huius sacramenti. Alioquin

cum ex concupiscentia nobis innata & occupatione circa exteriora fiat deperditio deuotionis, & seruoris secundum quae homo in Deum colligitur, nisi per hoc sacramentum frequenter sumptum fieret restauratio deperditorum de facili potest contingere quod homo totaliter a Deo alienaretur & spiritualiter moreretur: vnde dicit Innocentius, quod cauendum est ne si nimum huius sacramenti sumptio differatur, mortis periculum incurrat.

6 Quantum ad secundum sciendum est, quod hoc sacramentum requirit in suscipiente deuotionem ad suscipiendum, & reuerentiam ad sacramentum. Primum facit amor qui incitatur ad frequentationem huius sacramenti, sed secundum scilicet reuerentiam facit timor qui retrahit ab eius frequentatione. Si ergo aliquis cognoscat ex quotidiana sumptione deuotionem augeri & reuerentiam nō minui, expedit ei quotidie communicare: si autem sentiat reuerentiam minui & deuotionem non indultum augeri, talis laudabiliter interdū abstinere vt cum maiori reuerentia & deuotione postmodum accedat: vnde quantum ad hoc vniuersum est suo iudicio relinquendum vt faciat quod secundum fidem suam pie credit faciendum esse sicut dicit Aug. quod probat per exemplum Zachari & Centurionis quorum vnius excepit Christum gaudens, alius vero dixit: non sum dignus vt intres sub tectum meum. Hoc autem videtur attendisse ecclesia in statutis suis, quia in primitiua ecclesia quando vigeat maior deuotio ex viuacitate passionis Christi inditum fuit fidelibus, vt singulis diebus communicarent. vnde Anacletus Papa dicit, & habetur de conse. dist. 2. peracta consecratione omnes communicent, & qui holunt, ecclesiasticis careat limitibus. sic enim & Apostoli docuerunt & sancta Romana ecclesia tenet. Postmodum inditum fuit tepescere deuotione quod in anno communiaarent saltem ter, scilicet in Paschate, Pentecoste, & Natali domini: vt dicit Fabianus Papa, & habetur de conse. dist. 2. Si vero frequentius. Postremo vero refrigerante deuotione multorum statuit Innocentius tertius vt saltem semel in anno scilicet in Paschate fideles communicent. extra de pen. & re. cap. Omnis vtriusque sexus. Et adhuc pauci inueniuntur. & sic patet secundum.

7 Tertium patet, scilicet quod inter laudabiliter sumentem & laudabiliter abstinentem melius facit qui sumit quam qui abstinet, quod patet primo ex genere facti sic: melius est quod est boni per se quam quod est boni per accidens, sed sumere hoc sacramentum est bonum & expediens de se (vt patet ex primo articulo) abstinere autē nō est bonum nisi per accidens, scilicet ex conditione recipientis, ergo sumptio huius sacramenti praeminet abstinētis. Secundo patet idē ex parte effectus, quia duplex bonum praeminet vni vbi vnum includitur in duobus, sed recipiens dignē sacramentam recipit effectum sacramenti ex opere operato & habet meritū ex deuotione ex qua suscipit. Abstines vero & si possit habere meritū ex reuerentia abstinendi non percipit tamen fructū qui est ex sumptione sacramenti, ergo plus proficit qui dignē suscipit quam qui abstinet. Tertio patet idē ex habitu inclināte ad vtrumque, quia sicut se habet habitus ad habitū sic actus ad actum. Sed amor qui inclinatur ad susceptionem sacramenti praeminet timori, qui retrahit a susceptione eius, ergo suscipere melius est quam abstinere. Adhuc suscipiens sacramentum in aliquo se disponit ad id quod melius est. Abstines vero ex reuerentia non propter hoc se disponit ad aliquid melius. Relinquitur ergo quod melius est hoc sacramentum laudabiliter sumere quam laudabiliter abstinere.

8 AD primum arg. dicendum, quod supposita dispositione congruē recipientis melius esset quantum ex genere facti communicare pluries in die quam semel, nisi consuetudo ecclesiae esset in contrarium quae videtur satis rationalis, quia satis est difficile quod vno die aliquis praeparet se sufficienter ad suscipiendum hoc sacramentum, vix autē inueniuntur qui pluries eodē die praeparet se ad ipsum. Et iterum quia hoc sacramentum est rememorative passionis dominicae. Congruit ergo vt saltem per hoc quod semel in die communicatur representetur vnitas passionis.

9 Ad secundum dicendum, quod baptismus representat passionem Christi secundum quod generat in nobis spirituales vitam. Et quia generatio vniuersalis nō est nisi semel, ideo baptismus non repetitur, sed eucharistia



## Magistri Durandi de Sancto Porciano

representat eandem passionem secundum quod nos reficit quasi spirituale alimentum. Et ideo debet iterari, sicut alimentum corporale frequenter iteratur.

10. Auctoritas autem Augustini quae allegatur in oppositum supponit convenientem dispositionem suscipientis, unde postquam dixerat verba praedicta subiunxit sic vivit ut quotidie merearis accipere. In casu autem in quo est dubium de suscipientis dispositione dicit in lib. de ecclesiasticis dogmatibus: quotidie eucharistiam accipere nec laudo, nec vitupero. Singulis autem diebus dominicis communicandum hortor. Et habetur de consec. dist. 2. capitulo Quotidie.

Sententia huius distinctionis. XIIII.  
in generali & speciali.

**S**olet etiam quaeri. Superius determinavit Magister de sacramento eucharistiae quantum ad esse & fieri. Hic determinat de eo quantum ad dispensationem. Et dividitur in quatuor partes. Primo determinat de ministro dispensante. Secundo de sacramenti susceptione. Tertio epilogat dicta in hoc tractatu. Quarto subiungit quoddam incidens. Secunda ibi. Illud etiam potest sane dici. Tertia ibi. De hoc caelesti mysterio. Quarta ibi. Ne autem ignores. Prima in duas. Quia primo inquirit de ministerio dispensante. Secundo subiungit quae requiruntur in ministro ut hoc sacramentum possit conficere ibi. In huius autem mysterii explicatione. Prima adhuc in duas. Quia primo inquirit an sacerdos malus possit conficere. Secundo utrum praecius ab ecclesia. Secunda ibi. Illi vero qui excommunicati sunt. Haec est divisio, &c.

1. In speciali sic procedit. Et proponit primo utrum mali sacerdotes possint hoc sacramentum conficere. Et respondet Magister quod bonitas vel malitia ministri nihil ad consecrationem facit: quia hoc non est in merito consecrantis sed in verbo efficitur creatoris. In hoc enim sacramento sub tegumento rerum visibilium divina virtus secretius operatur salutem. Et hoc pluribus auctoritatibus confirmat. Postea dicit quod qui praecius sunt per excommunicationem ab ecclesia (ut haeretici) non videntur hoc sacramentum posse conficere, quantumvis sint sacerdotes: quia nemo dicit in consecratione huius hostiae offero, sed offerimus, quasi in persona totius ecclesiae, ipsi autem sunt extra ecclesiam. Missa etiam dicitur, eo quod caelestis nuncius missus adveniat ad consecrandum hoc sacramentum. Non est autem praesumendum quod ad benedictionem haeretici Deus mittat celestem nuncium, cum ipse dicat per Prophetam: Maledictionem benedictionibus vestris. Postea dicit quod ad consecrationem huius ministerii requiritur quod minister sit sacerdos & quod habeat intentionem consecrandi (hanc saltem) quod intendat facere quod facit ecclesia. Postea dicit quod corpus Christi a brutis non sumitur, quid ergo sumunt quando species incaute servatas comedunt, dicit se nescire, sed Deus scit. Postea epilogat dicens, quod de hoc sacramento aliqua perstrinxit quibus illi qui contradicunt haeretici sunt censendi: quid sit autem haereticus diffinit, quod ille est haereticus qui falsas ac novas opiniones contra fidem gignit aut sequitur.

### QUESTIO PRIMA.

Utrum consecratio huius sacramenti proprie conveniat sacerdotibus.

Tho. 3. q. 82. ar. 1.

**C**irca distinctionem istam quaeritur de duobus in generali. Primo de dispensatione huius sacramenti. Et secundo de haeresi de qua Magister facit mentionem. Circa primum quaeruntur quatuor. Primum est quis possit hoc sacramentum consecrare. Secundum est an liceat sacerdoti omnino a consecratione seu celebratione cessare. Tertium est cui liceat hoc sacramentum dispensare. Quantum ad primum quaeritur utrum consecratio huius sacramenti proprie conveniat sacerdotibus. Et arguitur quod non: quia in institutione huius sacramenti dixit Christus Apostolis: Hoc facite in meam commemorationem, per quod videtur commississe consecrationem huius sacramenti solis Apostolis, sed simplices sacerdotes non succedunt loco

Apostolorum, sed Episcopi tantum, ergo videtur quod consecratio huius sacramenti conveniat solis episcopis.

2. Item dicit Augustinus, quod extra ecclesiam catholicam non est locus veri sacrificii: & habetur prima causa quaestione. 1. cap. quod quidam, sed multi sacerdotes sunt extra ecclesiam saltem schismatici & haeretici, ergo tales non debent hoc sacramentum conficere.

3. Item eadem est potestas sacerdotis quae potest hoc sacramentum conficere, & absolvi in foro poenitentiae. Sed sacerdos excommunicatus, vel degradatus non potest absolvi in foro poenitentiae, ergo nec consecrare.

4. In contrarium est determinatio ecclesiae quae habetur extra de summa trinitate & fide catholica, ca. 1. ubi dicit sic hoc sacramentum nemo potest conficere nisi solus sacerdos qui rite fuerit ordinatus.

5. Et arguitur sic per rationem. Quia digniora sunt sacrificia non le. quam vetera. Sed offerre sacrificia vetera legis fuit proprium sacerdotibus, ergo fortiori ratione offerre sacrificium novae legis convenit solis sacerdotibus.

6. **R**ESPONSIUM. Cum proprium sit quod convenit soli & omni: dicendum est quod conficere hoc sacramentum eucharistiae convenit proprie sacerdotibus, quia convenit solis sacerdotibus & omnibus sacerdotibus. quod convenit solis sacerdotibus patet sic: cuius est potestas eius est actus, sed potestas consecrati est in solis sacerdotibus, ergo actus consecrandi solum competit eis. Maior patet per Arist. de som. & vi. Minor probatur, quia potestas quae datur per consecrationem solum est in consecrato. Sed potestas consecrati dicitur in consecratione datur in consecratione sacerdotali, ut patet per formam verborum qua dicit episcopus consecrando sacerdotem & tradendo ei calicem quae sunt ista: accipe potestatem sacrificii offerendi, missamque celebrandi tam pro vivis quam pro defunctis in nomine domini, ergo soli consecrati consecratione sacerdotali habent potestatem consecrati hoc sacramentum.

7. Quod autem conveniat hoc sacramentum conficere omnibus sacerdotibus ita quod si seruet omnia quae sunt de necessitate sacramenti verum sit sacramentum, patet sic: Si non omnis sacerdos possit hoc sacramentum conficere hoc esset aut propter demeritum vitae, quia esset malus, aut propter defectum in fide, quia esset haereticus, vel propter sententiam ecclesiae, quia esset excommunicatus, vel propter depositionem ab ordine, quia esset degradatus. Sed nullum istorum impedit quin sacerdos possit verum conficere, ergo &c. Maior patet. Minor probatur secundum quatuor articulos in ea contentos, quod enim malitia vitae non impedit probatur sic: quia sicut dicitur supra dist. 5. cum ageretur de baptismo bonitas moralis & bonitas ministerii sunt bonitates omnino separatae, ita quod una aliam non requirit necessario sicut potest deduci in omni ministerio humano. Et multo amplius potest hoc dici de ministerio sacramentorum Dei, quia in eo totus effectus interior est a Deo & non a ministro sed solum exterior ministerii. Et ideo interior bonitas, vel malitia moralis ministerii nihil facit ad ministerium. Cum igitur sacerdos in consecratione huius sacramenti non habeat potestatem nisi simplicis ministerii, patet quod eius malitia non impedit effectum sacramenti dum tamen concurrat alia quae ad sacramentum sunt necessaria. Nam secundum Augustinum, & est auctoritas canonizata 1. quae 1. Hoc sacramentum non in merito consecrantis, sed in verbo conficitur creatoris.

8. Quod autem defectus in fide non obstat consecrationi huius sacramenti patet sic: Si ad sacramentum requireretur fides ministri maxime requireretur ad sacrificium baptismi qui per excellentiam dicitur sacramentum fidei. Sed ad baptismum non requiritur fides ministri ut probatum fuit supra, ergo nec ad consecrationem huius sacramenti. Dico autem de fide, & non de sacramento quo quis primo ascribitur fidei videlicet de baptismo, quia sine eo nullus esset sacerdos, nec per consequens minister huius sacramenti, utrunque praedictorum probari potest una communi ratione sic: Ad eliciendum aliquem actum quantum ad essentiam actus nunquam necessarius est habitus. (Habitus enim solum ponit modum sicut ad concupiscendum non requiritur temperantia, sed ad bene concupiscendum) sed gratia & fides per quam est bona vita ponunt esse quidam